

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Schlee Peter Danckwert

**Theoremata Theologica De Aeterna Praedestinatione Seu Electione Filiorum Dei
Ad Salutem**

Rostochii: Reusner, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756815398>

Druck Freier  Zugang



Schlee
Chr. Hedarus.
R. u. theol. 1605.

31

THEOREMATA
THEOLOGICA
**DE AETERNA
PRAEDESTINATIO-
NE SEV ELECTIONE FI-
LIORVM DEI AD SA-
LVTEM,**

QVÆ

Sub Divini Numinis Auspicijs
Reverendi Collegij Theologici autoritate,
In Academiâ ROSTOCHIENSI,

PRAESIDE

M. CHRISTIANO SLEDANO
ROSTOCHIENSI.

Ad disputandum proposuit

PETRVS DANCKVVERT, L. Holsatus.



ROSTOCHII
Apud Christoph. Reusnerum. 1605.

Viro

Reverendâ dignitate, pietatis zelo, singulari
eximiâq; virtute & doctrinâ cla-
rissimo,

DN. MATTHIÆ CLODIO, Ecclesiæ
Itzehoënsis & diœcesios istius præposito dignis-
simo & vigilantissimo, Domino Mæ-
cenati suo æternum colendo;

JVXTA AC

Integerrimis & prudentissimis viris,

Dn. PETRO FINCKEN, Reipub. Husensis
Secretario, avunculo suo longè
charissimo,

Dn. IOHANNI DANCWERT,
fratri optimo,

Tyrcinium hoc Theologicum, in debitâ obser-
vantia, honoris & amoris perpe-
tuam memoriam



L. M.

dicat & offert

PETRVS DANCWERT.

CONTINVATIO.

Articulus de AEterna Prædestinatione filiorum Dei, superiori, qui fuit de Persona Christi, recte subjicitur. Illi enim electo Dei pueru Esa. 42. vers. 1. Matth. 12. vers. 18. nostra Electio & salus, tanquam unico fundamento inititur, per quem & in quo ab aeterno electi dicimur Eph. 1. vers. 4. immo ipse est, qui nos elegit Ioh. 13. & 15. Quem articulum Satan prioris doctrinae hostis acerbissimus nunquam impugnatum reliquit; dum Zizania in eum jamdudum sparsa, nostroq[ue] iterum seculo enata, tam late germinere fecit, ut ex agro Ecclesia eradicari prius haud posse videantur, quam Dominus messis, ministris suis ea ipsa evellenda & comburenda præcipiat. Matth. 13. vers. 30.

Nos interim erroneous sententias, quas spiritus ille mendax 1. Reg. 22. vers. 22. per os suorum prophetarum & hoc & superiori aeo protulit, aversantes: Ut de reliquis Christianæ religionis articulis maximè in Ecclesiis nostris controversis animos, am' conuersationis adhuc differuimus; ita non minus & de hoc imperscrutabili P R A E D E S T I N A T I O N I S Filiorum D E I ad salutem mysterio doypualiu[m], am' con'aliquos, quod satis fuerit, dicturi, aut potius ex alibi dictis repetituri, quibusdam Theorematibus, ad consuetum morem nostru[m] sub analysin vocatis, sane duntaxat hujus doctrinae cognitionem, Sobriè, Reverenter & Prudenter proponemus, precepto & exemplo majorum nostrorum, qui suam quoq[ue] in hoc articulo confessionem contra Calvinianos & ceteros falsos fratres in undecimo articulo libri Christianæ Concordia nobis posteris orthodoxam reliquerūt.

THEOREMA PRIMVM.

Doctrina de prædestinatione publicè in Ecclesia est prædicanda.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

2. Assertionem hanc oppugnarunt tempore Augustini fratres quidam Gallæ, quos hodie nonnulli fecuti, sive ex modestia, sive diffiden-
tia, mysterij tanti, ceu impervestigabilem & saluti pietatis quod
studio perniciosa magis, quam utilem doctrinam, non prædi-
candam; sed perpetuo silentio involvendam statunnt.
2. Verum & Gallis & nostris responsione sua satisfecit Augustinus
lib. 2. de bono perseverantiae cap. 20. & in fine 6. Hypognost: qui
summam impietatem dixit, non prædicare; immanem blasphemiam,
negare prædestinationem.
3. Cum enim Christus ex sinu aeterni Patris Evangelium prolatum
Ioh. 1. vers. 18. toti mundo rotum & integrum prædicandum
jubeat Marc. 16. vers. 15. doctrinam de prædestinatione, ceu
precipuam ejus partem (utpote qua tota facit ad gloriam Dei, ad
testificationem amoris & gratia ipsius erga nos, Rom. 8. vers. 30.
33. Eph. 1. vers. 3. 5. 6. ad salutem & consolationem electorum
& piorum hominum) silentio opprimendam omnino prohibet.
4. Hinc Apostoli eam multoties à Christo inculcatam, in apertum
producere, & Ecclesia proponere voluerunt, ut Scripta eo-
rum passim demonstrant: immò ipse Paulus in tertio capitulo edo-
ctus demandatam, ex professo perirat, & non sivere voluit.
Rom. 9. & 10. & 11.
5. Necesseas insuper, quæ ex pervicaciâ impiorum & fanaticorum
orta est, nos quasi cogit, ut illa, quæ absque scripturâ ipsi in hoc
prædestinationis mysterio liberè comminiscuntur, & ab ipsis in
medium proferuntur, juxta præscriptum verbum & fidei ana-
logiam refutentur. Tantum enim abest, ut hac doctrina pietati
aliquid decerpatur, impietati addatur; ut maxime illam juvet,
hanc impediatur.
6. Sicut igitur propter abusum ipse usus rei non est tollendus: ita de
hoc articulo doctrina ob sinistras quorundamo piniones non negli-
genda; aut rei cienda, quin potius et ipsa de causâ, ut abusus &
prava

prava opiniones collantur, fundamenta ex fontibus Israëlis exhausta, proferenda & proponenda sunt, quemadmodum Concordia nostra liber p̄e sentit & loquitur.

THEOREMA SECUNDUM

Est verò in hujus articuli cognitionem à posteriori deveniendum.

1. Qui à priori hunc articulum inchoandum putant, infirmo & lubrico ingrediuntur pede. Non enim humanarum est virium & rationis, arcanum & aeternum prædestinationis decretum seposito sacro codice, ex aeternitatis abysso investigare; incomprehensibilia siquidem iudicia & impervestigabiles via Domini. Rom. 11. v. 33.
2. Continere igitur nos debemus intra metas, quas sacre literæ proposuerunt; he enim unica norma & regula, ad quam, ceu ad amissim & lydium lapidem omnia, quæ Christianam fidem & religionem concernunt, metiri & examinare oportet; ad quam cum serio Deus prohibuerit addi minutę quicquam; nos cogitationibus nostris in abdita decreta descendere caveamus, sed sapiamus ad sobrietatem; præceptore Apostolo Rom. 12. v. 3.
3. Et cum duplex sit via aliquid cognoscendi; una, quâ progredimur à prioribus ad posteriora; altera, quâ ad priora à posterioribus; illâ missâ hanc sequi hominem in cognoscenda de hoc decreto suo voluntate Dei debere, certum est. Et firmiter statuendam, non aliquid decreuisse Deum ab aeterno, quam quod in tempore per os Filij sui revelavit. Hypocritam talem facere, Deū qui aliud decreverit, aliud scribi voluerit, summa est & impietatis & blasphemiae.
4. Multæ quidem cùm circa alios tūm præserim hunc articulum questiones & controversia oriuntur; quarum rationem in hac vita exactè reddere non possumus, quod ipse Paulus fatetur, qui, etiam si satis abunde hanc doctrinam in Epistolis tradidisset; tamen ali-

men aliquid absconditæ sapientiæ divinae relictum innuit, exclamatione seu Epiphonemate sub finem undecimi capituli ad Rom. ita concludens: O altitudo diritiarum sapientia & scientia Dei: quam incomprehensibilia iudicia & investigabiles via ejus.

5. Ad quam Apostoli Exclamationem remittendi sunt hi, qui perplexis abstrusarum questionum ambagibus, hanc doctrinam ipsis sibi & aliis difficultem & obscuram reddunt; nos interim statuentes cum Cyrillo; maximam scientiam esse, in his, quæ de Deo (abscondito) dicuntur, confiteri ignorantiam.

THEOREMA TERTIVM.

Et quidem non ex Lege, sed Evangelio.

1. Ut in Lege iustitia nostra non fundata est, ita prædestinatione exinde non petenda; siquidem hi solum dicuntur prædestinati, qui iustificati Rom. 8, v. 30.
2. Lex neminem iustificat, sed tantum accusat, iram operatur, incutit horrorem, damnat, & ad inferos trudit. Rom. 3, v. 20. &c. 4, v. 15. Gal. 3, v. 10. Evangelium vero nobis viam monstrat ad astra ducentem; Est quod nihil aliud, quam eterni propositi Dei, de salvandis hominibus in apertum in omnes gentes in obedientiam fidei prolatio: quod doctor ille gentium Paulus in multis suorum Epistolarum locis haud obscurè innuit. Rom. 16, v. 25, 26. 2. Tim. 1, v. 10. Eph. 3, v. 9.

THEOREMA QVARTVM.

Quod igitur ad nominis definitionem; discrimen inter Præscientiam, Providentiam, Prædestinationem seu Electionem accuratè observari debet,

1. Hisce, quæ dicta fuerunt, vocabulorum quorundam in hoc negotio usitorum subiectere libert explicationem, ut sensu eorumdem vero cognito, facilius ad sapientia adyta prorepere liceat. In illorum

illorum enim interpretatione ad versarij à nostrarum Ecclesiarum Theologis (qui veram, genuinam & sacris literis optimè congruentem sequuntur) disident, & hallucinantur.

2. PRÆSCIE Ntia vocem quod attinet, capitur illa generaliter & specialiter. Generaliter quidem in solo Dei intellectu posita, notat scientiam Dei generalem omnium rerum in mundo, non solum qua actu existunt: sed etiam qua sunt in potentia tam sua quam creature. Exod. 3. v. 19. Heb. 4. v. 13. Specialiter sumpta hæc vox solos fideles & electos filios Dei respicit, cuius expressum testimonium habemus in Epistola Paulina ad Rom. 8. v. 29. Vbi præscientia vox non docebat seu indefinite de omnibus præscitis potest accipi: cum etiam impij præscentur à DEO, quos tamen ad vitam prædestinatos absurdè inde deduceretur. Paulo ad stipulatur Petrus Epist. I. cap. I. v. 20.

3. Præscire autem dicitur Deus impropriè & nō à deo non deit. Non enim ut reliquarum creaturarum ex certis aliquibus signis, sic Dei præscientia pendet. Sed cùm omnia intelligat, & cognoscat, sive sint præterita, sive præsentia, sive futura, & quidem ab aeterno intelligat quod sint, quod est, quod erit, totum & partes, universa & singula, & genus & species, individua demum ipsa & individuorum ortus, progressus, successiones, facta, dicta, cogitata &c: Ita pro isthic tam infinita intelligentia & scientia suā, quā omnia ei sunt præsentia, nihil aure vel præteritum, vel futurum, potius scire, quām præscire dicendus. In Deo enim non modo ηγετούσι, sed & γνωστούσι nobis comprobant sequentia testimonia, I. Sam. 16. vers. 7. I. Para. 28. vers. 9. Iob 24. vers. 4. Ecclesiastic. 42. vers. 17. I. Joh. 3. vers. 20. Ebr. 4. vers. 3.

4. Et si igitur indubitanter verum est, quod, ut jam dictum, Deus omnia in mundo prævideat & præsciat; præscientia tamen non simpliciter causa præscitorum efficientis rationem obtinet: quandoquidem ut Origenes supra caput 8. ad Rom: scribit: Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futu-

rum

rum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat, & Iustin: Martyr Re-
spons: 58 ad orthodox: Non, inquit, præscientia causa est ejus quod
futurum est, sed id, quod futurum est, causa est præscientie; si-
quidem præscientiam non sequitur futurum, sed futurum conse-
quitur præscientia.

5. Ad hæc si præscientia Dei rerum prædictarum causa efficiens esset;
necessariò illas ab eterno una cum Deo extitisse concedendum fo-
ret, præscientia quia aeterna, & posita causâ necesse ponatur
effectum.

6. Et denig, cum omnia sub præscientiam Dei cadant, mala pariter
ac bona; nonne Deus etiam malorum causa? quod dictu & cogi-
tatu longè est impium. Non Deus iniquitatis Deus est, Psal. 5.
vers. 5. quam nequidem vult multò minus causat Nefas igitur
est (inquit ad articul. fals. sibi impos. resp. 13. Augustinus) Deo
adscribere causas illarum ruinarum. Qui etsi ex aeterna scientia
præcognitum habet, quid unius cuiusq; meritis retributurus sit,
nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut
voluntatem intulit delinquendi.

7. Præscientia aliquo modo innotuit: PROVIDENTIAE vocabu-
lum jam videndum; quod sub se non solam notitiam rerumq;
scientiam comprehendit: sed preter notitiam efficacem quoq;
earum curam, & ordinationem, & dispositionem, quâ Deus res à
se conditas sustentat, & ut pro liberrima sua voluntate, ita &
diversimode, gubernat & conservat, Psal. 119. v. 91. Matth. 6.
v. 26. 28. & 10. v. 29. prospicit genus humanum, Ioh 10 v. 6. &
in eo salutem præcipue salvandorum Ioh. 14 v. 18. Tua, pater,
providentia gubernat Sap. 13. v. 4. Et aequaliter illi de omnibus
est cura cap. 6. v. 8.

8. Et ita non modo generalem, sed etiam specialem omnium & singu-
lorum & minimorum quoq; curam gerit. Non enim Deus sum-
mus ille opifex & architectus rerum suas creaturas & opus,
tanquam faber edificium effectum, relinquit, sed curat. Et quem-
admodum

admodum bonus princeps regno & subditis suis prospicit: ita supremus monarcha mundi, Rex Regum, & Dominus Dominatum DEVS, benignè prospicit & procurat amplissimum hoc theatum mundi.

9. PRAEDESTINATIONIS & ELECTIONIS vocula, promiscue in scriptura, & in hoc præsertim negotio accipitur, & applicatur primò Rebus, quæ præreliquis eximiores & eminentiores praoptantur Esa. 58. vers. 6. Secundo Personis qua ad aliquid certum munus, Ecclesiasticum sive Politicum selecti dicuntur. Sic in Sacerdotium Domini tribus Levi eligitur Deut. 18. vers. 5. Apostoli ad Apostolatum Luc. 6. Saul & David ad imperium 1. Sam. 10. vers. 24. & 6. vers. 10. 12. Postremò de Electis (qui ex electo sive ἐκλελεγυμένοι Marc. 12. vers. 20.) ad vitam eternam sumuntur.
10. Et cum utraq; vox idem denotet subjectum, electos videlicet filios Dei, inconcinnè quidam contendunt discrimen aliquid ex sacris eruere, earumq; significationem dominatis applicare.
11. Patet igitur quid discriminis intersit inter Præscientiam & Prudentiam, cum hæc non nudem scientiam rerum, sed & curam earum complectatur, & liberè sit Dei voluntatis, quæ quid agit, liberè agit: Illa ad esse Dei Idioma referatur: necessariò enim Deus illa, qua sunt, prævidet, & non potest non præscire, alias non posset esse Deus omniscius.
12. Prædestinationis sub Providentia vocem tanquam speciem sub genere comprehendendi omnes Theologi uno consensu facentur. Discrimen igitur & interea aliquid sit necesse est; cum hac generaliter omnem curam Dei circa res omnes & singulas complectatur: Illa non circa universa, sed hominum tantummodo perpetuam salutem occupata sit.

THEOREMA QUINTVM.

Quod ad rei definitionem; est Prædistinatio
æternum & immutabile voluntatis divi-

B

næ de-

næ decretum & propositum, in Evangelio revelatum, quo Deus ex beneplacito, & gratuitâ misericodiâ suâ ad vitam æternam elegit, & salvare decrevit, quos cunq; in Filium Mediatorem credituros, & in verâ fide ad finem perseveraturos præscivit; ut sint sancti & inculpati coram ipso ad laudem gloriæ gratiæ ipsius.

1. Definitio hæc à sacris literis nihil diversum habet, nec quod addi debeat consideratur, quod ex singularum partium examine erit perspicuum.
2. GENVS definitionis DECRETVM seu propositum facimus cum Paulo Rom. 8. v. 28. Eph. 1. v. 5. Predestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis sue v. 9. secundum beneplacitum ejus quod propositum in semetipso. & v. 11. secundum propositum & consilium voluntatis sue; quod Graca voce θέσις dicitur, que interdum in bonam eis carinax, interdum in malam partem eis ισχυνει usurpatur: prioris testem habemus Ioh. cap. 15. v. 16. posterioris pro decreto iudicij & reprobationis Petrum 1. cap. v. 8. utriusque locum Paulinum 1. Thess. 5. v. 9. Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis.
3. A T E R N V M. Non enim in tempore, sed ante tempora secularia, hoc est, ante jacta fundamenta & constitutionem mundi ad vitam æternam fideles electos & predestinatos esse perspicue Paulus docet. Eph. 1. v. 4. 2. Tim. 1. v. 9. & Thess. 12. v. 13.
4. IMMVTABILE quoque est. IN omnem enim eternitatem firmum stat & ratum, ut absque ullo personarum respectu hi sint electi, qui fide sua Christum amplectuntur, idque ad finem vita. Non igitur absolute & simpliciter immutabile; Sed cum annexa determinatione & ex parte voluntatis Dei, qui neminem absque

- absque certa mediorum ratione elegit & salvare voluit Rom.
8. vers. 30.
5. VOLVNTAS divina definitioni inseritur, ceu definiti Causa
EFFICIENS, quâ solâ & non aliâ re extra seipsum in hominibus
positâ, ad eligendum nos impulsus est Deus; & hujus paterna
voluntatis fundamentum est Christus Deus & homo, in quo ele-
ctos nos asserit Paulus. Eph. 1. vers. 4. 5.
6. MEDIVM, quo fundamentum apprehendere possumus, necesse est
ut accedat, FIDES. Hac etiam ut cœjavim, electionis ordinis
admisceretur, non ut efficiens & impulsiva, Sicut enim non pro-
pter fidem justificamur sed per fidem, seu propter Christum fidem
apprehensum: ita quoque electi sumus ab aeterno non propter fidem
prævisam, sed perfidem & propter Christum electionis nostra
fundamentum fidem apprehendendum.
7. OBJECTVM sunt HOMINES, non quidē indiscriminatim omnes,
sive impij sint sive pij: sed soli in Christum credentes & in fide
usq; ad vitæ terminum perseverantes; reliquis autem prædesti-
nationis decreto suâ ipsius culpâ exclusis,
8. FORMA nostra electionis consistit in ordine seu ratione. Nam & Deus
nos ab aeterno prædestinavit, & media constituit, extra & sine
quibus nulla est electio. Quod videlicet mittere velit filium
protoiū mundi peccatis passurum & tantum hos qui in filium
credunt, & gratiam in Evangelio oblatam amplectuntur, salvos
facere. Hic igitur ordo totus electioni includendus, nec
quicquam ex eo substrahendum.
9. FINEM hujus decreti sacra litera faciunt duplēm; prior ho-
mines respicit, posterior Deum. Ideo enim nos elegit, ut co-
ram ipso sancti & irreprehensibiles per Charitatem viveremus
Eph. 2. vers. 4. & perpetuâ cum ipso vitâ frueremur. Rom. 9.
vers. 23. & ut eō manifestior & illustrior esset graia & misericordia ipsius,
qua nos per dilectum charos reddidit Eph. 1.
vers. 5. 6. 12.

THEOREMA SEXTVM

Ad uberiorem hujus negotij intelligentiam
quatuor Hypotheses fuerint necessariæ
observatu; I. De Voluntate Dei. II. De Me-
rito Christi. III. De Vocatione Evangelij.
IV. De Fide HOMINIS.

Et non modo definitio superiori Theoremate proposita & secundum
bonæ definitionis leges rite resoluta rectius ac plenius intelliga-
tur; sed etiam, ut integrum prædestinationis mysterium pię
dextreḡ evolvatur; de præmemoratis quatuor hypothesisbus quid
statuendum quo de modo hue referenda sint, deinceps ex scri-
pturis sacris accurate & succincte explicabimus, secuti scilicet
methodum nostrorum præceptorum.

THEOREMA SEPTIMVM.

Voluntas Dei alia est Antecedens, alia
Consequens.

1. *Vnica quidem & simplex est voluntatis divina essentia, realiter ab ipsis Dei & nihil differens. Nihil enim in Deo propriè est, quod non realiter idem sit ac Deus. Ut itaq; Deus est immutabilis & sine omni contradictione; sic & absolute una eſcē Dei volun-
tas & simplex, non multiplex: quatenus vero pro objecto vo-
luntatis divina externo seu, quod idem est, pro ipsis volitis ex-
ternis, que Deus vult, sumitur, commodissimè & ual' aiālogiā
scriptura, nostri Theologi eam multiplicem constituunt; & ut
presenti servit instituto, in antecedentis & consequentis divi-
sionem cum Damasco agnoscunt & in Ecclesiis recipiunt.*
2. *A N T E C E D E N S seu πρότερη voluntas Dei, homines in mun-
do nascituros simul & natos respicit, quorum omnium salutem
summo desiderio cupit; quā de causa Filium misit totius mundi
salvatorem, ejusq; meritum universis annunciarī & per verbum
offerri*

offerri jubet. Complectitur igitur antecedens hanc voluntas non solum hos, qui actu id ipsum audiunt, & meritum Christi apprehendunt; sed & hos qui nunquam audiunt, credunt aut salvantur. Ezech. 33. Vivo ego &c. 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

3. CONSENTE VENIS seu ~~enquon~~ similiter omnes respicit, sed audiueros verbum & ei credituros, quos ad vitam praedestinat; ceteris non actu credituris propter solam finalem impunitentiam, non absoluto reprobationis decreto, neglectis ac prateritis. De illis loquitur Epistola 1. Cor. 21. Placuit Deo per stultam predicationem salvos facere credentes; de his Deut. cap. 18. vers. 18. 19. Prophetam suscitabo eis, & ponam verba mea in ore ejus, loqueretur ergo ad eos omnia, quae pracepero illi: qui autem verba ejus, quae in nomine meo loquetur, non audierit, ego ultor existam.
4. Neque contra dictorias hac ratione in Deum voluntates statuimus (exulat enim a Deo omnis contradictionis) sed sub alteras; Cum Deus non absoluto aliquo decreto sine paenitentia & fidei respectu, hos in gratiam recipit, illos gratiam detracta rejicit; in quo si impios Calvinianos sequeremur, vere in Deum contradictorias voluntates statucremus. Esse autem hoc & dictu & cogitatu horrendum, deinceps evincere conabimur.

THEOREMA OCTAVVM.

Antecedente sua voluntate Deus vult omnes homines in Christo salvos fieri.

1. Ex sacris literis manifestò liquet, & rationibus evidentissimis probare non difficile est, Deum omnium & singulorum hominum salutem nullo excepto, velle & expetere.
2. TESTIMONIA tot sunt & tanta, ut factio Calvinistica nihil habeat, quod pia assertioni pie & juste opponere posset. Insigne nobis suppeditat Epistola 1. ad Tim. 2. vers. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.

- Rom. 11. vers. 32. Conclusit Deus omnia sub peccatum, ut omnium
misereatur. 1. Tim. 5. vers. 9. Deus non constituit nos ad iram,
sed ad salutis acquisitionem, Et 2. Petri 3. vers. 9. Deus non vult
ullos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti. Imo quod im-
mota benevolentia erga nos contestatio est, juramento interposito,
nolle se impij mortem Deus affirmat, sed ut convertatur ac vi-
vat. Ez. 18. & 33.
3. Et ut testatum ficeret Christus quanto desiderio desideraret homi-
num salutem, exitium populi Iudaici, non tantum externum
illud & temporale: sed eternum aeterna damnationis interitum
deplorat, omnem exitiū culpam & paenam à se in ipsum pver-
sum populum removendo, dum ait: Quoties volui te congregare;
& noluisti. Luc. 13 vers. 34.
4. Quod si quis manifestissimis hisce scriptura testimonys contradic-
cere velit, is Deum hypocritam, & aliud sentientem, aliud pro-
loquentem simulatorem faciet, & notam impietatis & horrendae
blasphemia non evitabit; quem tandem simulationis & dolii
distinctionem adferat.
5. Hisce & alijs Matth. 11. vers. 28. Ioh. 3. vers. 16. Sap. 11. vers. 24.
Et cap. 12. vers. 20. 21. subiectiæ sunt RATIONES, quarum
prima usitatè ducitur à fine creationis. Creavit enim Deus ho-
mines, non ut aliquos absoluto decreto & voluntate aeterna morti
destinaret; sed ut omnes aeternâ vitâ & gloriâ bearet,
6. Condidit enim ad imaginem suam hominem, & ita condidit ad sa-
ludem; quandoquidem indissolubili nexu aeterna salus cum ima-
gine Dei cohæret, ut illâ integrâ salus nostra integra; jam autem
in Adamo illâ perditâ, perdita etiam salus nostra fuisset, nisi re-
staurata per Christum. Non autem ut laberetur, sed ut staret à
Deo hominem creatum, ex multis sufficiat locus Eccles: 15.
vers. 11. & seqq.
7. Deinde, ratio secunda petitur ex missione Filij. Cum enim homo
finem, ad quem conditus, transgressione mandati divini im-
pedieris,

pedierit, ex merâ misericordiâ Filium suum redemptorem toti
mundo, totiq; generi humano pro omnibus passurum misit, ut
amissam in Adamo, in quo omnes peccaverant Rom. 5. vers. 12.
imaginem Dei & eternam salutem restauraret. Rom. 8.
vers. 32. &c: ut sequenti hypothesi alterâ pluribus confirma-
bitur.

8. Hasce nostras rationes unanimi consensu & calculo suo approbans
sanctissimi P A T R E S: Irenaeus, Ambrosius, Chrys. August. &
alij quamplurimi: quorum sententias omnes referre est prater
institutum, loca indicasse sit satis. Irena: lib. 4. cap. 7. Amb.
serm. 8. in Psal. 118. Chrys. de Convers. Pauli & Hom. 7. in Ioh.
August: ad articulos sibi falsò impositos Art. 16.
9. Conclusio igitur firma est & immota; Deum velle omnes homines
salvos fieri. Omnes dicimus & singulos generum, non genera
singulorum, quemadmodum glossa ad versiorum vult, qui hoc
amplectuntur, & nomine mundi quosdam (electos scilicet)
intelligi, contra usitatum scripture loquendi modum & ipsam
pietatem, asserunt.
10. Quare horrendum & plusquam impium dogma illorum de Re-
probatione, cui causam liberam & justam voluntatem Dei faci-
unt, absq; ullo impietas, infidelitatis & impænitentia respe-
cta aliquos ad interitum prædestinantem, merito juxta scriptu-
ram rejecimus, & cane ang' peius detestamur.

THEOREMA NON V. M.

Electio autem non antecedente sed conse-
quente voluntate terminanda.

1. Cum omnia, que Deus fieri vult, non solum fiant, sed etiam eo mo-
do fiant, quo vult; Electio, qua in Christo, non in antecedente,
sed consequente voluntate Dei collocanda erit. Hac enim tan-
tum eos salvare vult, qui media à Deo ordinata amplectuntur;

scilicet in

vult & illos damnare, qui media oblata respuunt, hac duo iudicij & electionis decreta hoc loco sese offerunt.

2. Igitur cur prædestinationem in consequente collocamus est perspicuum. Antecedens enim voluntas confusè & generatim omnnes respicit, omniumq; salutem, nullius interitum. Consequens quidem etiam omnes respicit, sed non pari modo; salutem vult eorum, qui actu credunt, vult etiam justo iudicij decreto ob antegressam incredulitatem, ut morte puniantur increduli.
3. Deinde accedit Apostolus, Electioni præscientiam includens, quâ non tantum considerantur media salutis ex parte Dei, ut oblata; verum etiam respectu hominum ut usurpata, quemadmodum Theologi loquuntur. Deus enim, cuius præscientia non fallit, nec fallitur, secundum infinitam intelligentiam & scientiam suam, non omnes oblatam gratiam & à se, proposita media accepturos prævidit; ideoq; secundum hanc prævisionem ab æterno decrevit, justum in illos iudicium exercere, reliquos mediis hisce usoros aeterna beatitudinis participes reddere.

THEOREMA DECIMVM

ÆTERNVS Pater Filium suum in mundum misit, ut pro omnibus omnium hominum peccatis satisfaceret.

1. Ut voluntas Dei universalis, quâ erga omnes homines paternè affectus est, magis elucescat, meritum Christi universale ex pendendum erit & confirmandum contra impium & insulsum dogma Calvinianorum, qui minimæ parti generis humani (electis nimis) Christum missum, proinde pro yis solum mortuum contumeliosè scribere non erubescunt.
2. Scripturam à nostris partibus stare probatur. Principio enim Luc. 2. Angelus gaudium omni populo futurum in Christo in carnato annunciat. Rom. 8. vers. 32. DEVS proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum. Similia loca

loca inspiciantur 2. Cor. 5. vers. 14. Heb. 2. vers. 9. 1. Tim. 2.
vers. 6. Esa. 53. vers. 6.

3. Deinde ne idem νεκρούτεο & latibulum habeant, quo se se contra
veritatem abscondere possint, universalem in particularem con-
vertentes; evidenter loca ex Iohanne petantur, ubi de electis
speciatim simul & reprobis sermonem habet, ὃς γέ meritum Chri-
sti, si modo sibi applicent, commune facit in 1. canon: cap. 2. vers. 2.
Christus est propitiator pro peccatis nostris: non pro nostris tan-
tum, sed etiam pro totius mundi. Vbi omni dubio remoto electos,
& deinde mundum immundum id est impios intelligit. Plura
Ioh. 1. vers. 29. & 3. vers. 16. 17. Et alibi extant testimonia,
qua Christum esse Mundi servatorem & Mundo traditum: in
quibus dictis terminus Mundi non potest pro Electis tantum &
pro eligendis e mundo accipi, uti Aug. Tom. 7. Resp. ad artic.
falsi: imp: testatur.
4. Porro & quid est quod ex adversa parte obici possit? nonne
Scriptura etiam reproborum ac improborum hominum mentionem
facit multis in locis, ubi de passione sermo est. Extat locus apud
Paulum evidenter in Epist: Rom. 14. vers. 15. & 1. Cor. 8.
vers. 11. Et apud Petrum Ep. 2. vers. 1. 2.
5. Praterea cum etiam ex precedenti hypothesi pateat, Deum omnium
salutem velle, hac constabili certo certius est. Neminem enim
Deus in beatorum numerum recipit vel recipere vult, aut potest,
qui idem sit Christi merito & passione redemptus & liberatus,
sine quo nulla homini salus.
6. Deniḡ & ne desit Patrum authoritas, audiamus ex multis unum
Chrys: in verba Pauli 1. Tim. 2. vers. 4. sic scribentem: Christus
etiam pro gentibus mortuus est, & tu pro illis non orabis? illi non
crediderunt, illi non voluerunt; ipse tamen partem suam fecit,
cum penderet pro eis in cruce.

THEOREMA V NDECIMVM.

Est verò prædestinationis decretum in Christo ordinatum.

1. Absq; Christo placere Deo nemo potest ; ita absq; misericordia unicō hoc fundamento prædestinatus aut electus nemo. Sed in illo & per illum omnes , quotquot præordinati. Eph. 1. vers. 4. 7. 11. 2. Tim. 1. vers. 9.
2. Sed animadvertisendum in duplice consideratione hic CHRI-STVM venire ; aut acquisiti meriti ratione , & sic patri totum mundum reconciliasse dicitur 2 Cor. 5. vers. 9. 1. Ioh. 2. vers. 2. aut ratione apprehensionis & applicationis , prout in Evangelio oblata beneficia ab hominibus acceptantur , aut repudiantur ; hanc distinctionem ponit Apostolus . Eph. 1. v. 4.

THEOREMA DVODECIMVM.

Promissiones de gratiâ D e i universali, deq; merito Christi universali in Evangelio oblatæ, sunt & ipsæ universales.

1. Tertia haec est hypothesis ad antecedentem Dei voluntatem constabiliendam, Universalis Vocatio. Posteaquam enim ex superioribus duabus luce meridianâ clarius est, Deum mortalium nemini salutem invidere : Sed omnibus ad illam aditum reparasse : jam porro videamus , & evincamus oportet, ad universale meritum Christi omnes , quotquot in Adam peccarunt, vocari.
2. Cujus melior ratio non erit, quam si scripturā adhibeamus, ex ea testimonia sanam sententiam nostrā confirmantia, profanam adversariorum refutantia producamus ; quorum precipua haec sunt. Mitt. 11. v. 28. Venite a me omnes , qui laboratis & oneratis estis , & ego resūiam vos. cap. 28. vers. 19. Docete omnes gentes Luc. 24. vers. 47, Marc. 16. v. 16. Act. 17. vers. 30. Deus annunciat

nunciat hominibus, ut omnes undique resipiscant. Col. 1. v. 28.
Nos (Apostoli) Christum annunciamus, admonentes OMNE M
hominem in OMNI sapientia, ut exhibeamus OMNE M ho-
minem perfectum in CHRISTO IESU.

3. De impiis & incredulis separatim loquuntur sequentia; Matt. 23.
v. 27. Quoties volvi filios tuos congregare, sicut gallina pullos
suos sub alas, & noluisti Esa. 65. v. 2. Tota die expandi manus
meas ad populum non credentem & contradicentem. Prog. 1.
v. 24. Esa. 65. v. 12. cap. 66. v. 4. & Ier. 7. v. 14. Ex quibus
patet non modo omnes vocari Evangelij voce, sed & SERIO
vocari, ut & Deus misericordissimus, invitatis ad nuptias non
venientibus, quasi protestando se excusat: Ecce prandium meum
paravi & omnia parata sunt, venite ad nuptias. Matth. 22.
vers. 4. Et Nuptiae quidem paratae. vers. 8.
4. Priora hoc etiam comprobant. Nam si Deus serio vult omnes ho-
mines fieri salvos, & Christus pro omnibus mortuus est, invictum
etiam stat tertium, quod velit omnes ad gratiam suam vocari,
eisq. acquisita beneficia offerri.
5. Quod autem omnes non recipiunt oblatam in verbo gratiam, non
in culpa Deus est: sed ipsorum hominum malitia hi soli, qua se-
cundum Deum vocatio est universalis, particularem faciunt,
quatenus incuria hominum, aliquibus locis non actu predicatur;
deinde quatenus homines Epicurai verbum respuunt & fa-
stidunt.

THEOREMA XIII.

Electio Filiorum Dei necessariò fidem in-
cludit.

1. Sequitur hoc ex superioribus. Nam quando confirmatum fuit, Christum nostra electionis esse unicum fundamentum, fides adjunga-
tur necesse est, quia hac duo tam arcte coherent, ut Christus sine
fide, & fides sine Christo non possit esse salutaris. Et ita elegit

Deus homines in Christo, non omnes, pro quibus satisfecit; sed
quos satisfactionem illam fide apprehensuros præscivit. Rom. 8.

2. Et ne quis dogma Papisticum obtendere queat, qui propter pravam fidem ejusq; fructus, bona opera scilicet præscita nos elegisse Deum afferunt: videndum quomodo electionis pars sit fides. Absit ut statuamus aliquam qualitatem in nobis ad electionem quid conculisse: sed quod superius dictum est, id hic dictum esto: Fidem non ut qualitatem seu habitum in nobis, sed ut correlatum relato suo Christo oppositum, electionis decretum ingredi, atq; adeo qua justificationis, easdem & prædestinationis causas esse, ut regula orthodoxa habet. Ut igitur isthic, ita & hic non ut causa, sed ut medium subordinatum requiritur. Est enim elec-tio purè gratuita; ut & eam Apostolus non vereatur nominare Misericordiam Rom. 9. vers. 16. Et Gratiam 2. Tim. 1. vers. 9. Si autem ex gratia, jam non ex operibus.
3. Fidem verò ex hoc decreto exterminandam contra scripturam sacram statuitur. 2 Thes. 2. vers. 11. ab Apostolo dicitur, quod Deus nos elegerit ab initio ad salutem in sanctificatione spiritus & Fidei veritatis.
4. Fundamenta immobilia extrui possunt ex dictis Ioh. 5. vers. 13. Eph. 1. vers. 9. Heb. 11. vers. 6. Impossibile est placere Deo absq; fide. Et generalis est eaq; certissima verissima orthodoxorum regula, quod Paulus semper cum hoc electionis decreto, proposito, beneplacito conjungat & implicet mentionem, aut Gratiae, aut Christi Mediatoris, aut Fidei; sive sigillatim, sive universem.
5. In eandem sententiam, consentientibus Amb. Hyer. & alijs Partibus, orthodoxè scribit Fulgentius: Deus (inquit) prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordie prævenientis auxilio reddituros; & in misericordia subsequentis auxilio mansuros.

THEO-

THEOREMA XIV.

Sed & finalem in fide perseverantium Ele-
ctio requirit.

1. At electionis requisitum inter alia est Perseverantia finalis. Etenim electio seu electi assequuntur vitam aeternam. Rom. 11. vers. 7. Qui autem vicerit, nec in certamine hujus mundi succubuerit, ei solum datur sedere in throno Christi. Apoc. 3. v. 21. Et qui in finem usq[ue] perseveraverit, salvus erit. Matt. 10 v. 22. & 24. v. 13.
2. In hac verò controversia non solum Calviniani; sed etiam Pontificij à nostris dissentient, cum hi dubitandi ansam de salute sua electis prabent, eosq[ue] non de perseverantia sua finali ante vita terminum certos esse posse: Illi semel verè renatis, omnem quicquid agendū licentiam spōndent, dum eorum nullum gratia Dei, ne ad tempus quidem excidere, & nomen filij Dei amittere, intrepide profitentur, etiamsi sexcenta quod dicitur scelerata atrocia & nefaria contra conscientiam admittant.
3. Sed Papistica dubitationi sese opponit Paulus & omnes cum ipso fideles. Rom. 8. vers. 38. 39. Certus sum, quia neq[ue] mors, neq[ue] vita, neq[ue] principatus, neq[ue] virtutes, neq[ue] instantia, neq[ue] futura, neq[ue] fortitudo, neq[ue] altitudo, neq[ue] profundum, neq[ue] creatura ulla nos poterit separare à Charitate Dei, que est in Christo Iesu Domino nostro.
4. Epicuraam sententiam alterius partis, similiter Apostolus suo exemplo reddit infirmam 1. Cor. 9. inquiens: Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne dum alias doceo, ipse reprobus sim. Et Christus ipse Luc. 11. vers. 24. immundum spiritum sa- pius rejici & tamen iterare viam ad pristinum domicilium, docet. Similia scripturarum testimonia hisce præmemoratis fermē clariora aut aquæ clara extant. Exod. 32. vers. 33. Ez. 18. vers. 5. 24. Rom. 11. vers. 22. 2. Pet. 2. vers. 18. Apoc. 2. vers. 6. Act. 8. vers. 22. Exempla horrendorum lapsuum sunt quam plurima,

Davidis adulteri & homicide, de quo dicitur quod scriptor non habet in regno celorum partem. Eph. 5. vers. 5. Petri Christum abnegantis. Matth. 10. vers. 33.

5. Possunt igitur renati excidere gratia Dei, & quidem finaliter ut Saul, Iudas. De Electis vero aliter scriptura statuit, qui etiam si sapius labi, & proprijs suis peccatis spiritum sanctum excutere possunt; in vera penitentia tamen ad Deum convertuntur, alias ex numero electorum eximendi, cum sint auctoritate electum esse & ad vitam finem perseverare.
6. Hi qui & quot sint, non est nostrum curiosè perscrutari. Igitur pro se quisque certus Deo immortali immortales gratias agamus, reliquos sibi omniscientiae sue fallere nescienti committendo 2. Tim. 2. v. 19. Novit enim Deus, qui sunt sui.

THEOREMA XV.

Electio igitur particularis sit necesse est.

7. Quod ex antea dictis facile judicare est, quia electio non est absque fide etiisque finali, non etiam ea ad omnes, sed ad solos constantes fideles pertinet. Et scriptura voculas has praedestinationis & electionis his solummodo tribuit, qui in Fide Christi obdormiscent; nec contrarius locus ex universa scriptura adduci poterit, ubi de electione & praedestinatione agitur, qui omnibus promiscue hominibus sive electis sive non, commode tribui posset. Et servator ipse queritur: Multos esse vocatos, Paucos electos Matt. 20. v. 20. ex 22. v. 14.

THEOREMA XVI.

Ex opposito liquet, quod infideles justissimæ reprobationis censuræ submittantur.

8. Reprobatio illa antecedentem voluntatem non ingreditur; sed consequenti

- sequentì terminatur: Et est aeternum decretum divina voluntatis, secundum normam judicij & iustitiae sua aeterno exitio punientia hos, quos impoenitentes & incredulos praecongnovit. At q̄d hoc reprobationis decretum electionis opponit Christus ipse Marc. 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur. Nihil ergo habent p̄ij quod à vocis hujus acerbitate abhorreant, imp̄j, quod tremiscant, maximè.
2. Hic ut alibi, toto pectori detestamur & execramur absolutum illud & dictu horrendum reprobationis decretum, cuius causam in sola ac nuda Dei voluntate, ejusq; absoluo decreto omnes causas antegrediente, & nullam hominum impoenitentiam respicien- te collocant: eos q̄d hoc modo non solum reprobare: ed sed reprobationem creasse, impie & blasphemè, scribere & asserere non ventur Calviniani.
3. Qui eo ipso dogmate Deum aperte blasphemant peccati authorem. Ut enim electi non modo ad salutem: Sed & salutis consequen- da medium hoc est veram fidem Christi sunt destinati; ita si aeterno Dei ac immutabili & simplici decreto homines quidam ad aeternam damnationem sunt destinati; damnantur vero propter peccata, ipsis etiam attestantibus Calvinianis. Quis non animad- vertit eos non solum modo ad damnationem, cœi finem ultimum & peccato adequatum; sed etiam ad causam proximam, qua est peccatum, esse destinatos. Ut recte Augustinus dixisse visus in Ench: cap. 99. Miseretur Deus magna bonitate, indurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur.
4. Et si absoluta Dei voluntate terminatur Reprobatio & electio, quid opus est causis intermediis, verbo, Fide &c. Non vero Deus indiguit querundam hominum reprobatione ad suam iustitiam demonstrandam, quam in Angelis lapsis sufficienter de- monstravit.

5. Sed

5. Sed profana huic sententia nos ex sacris contra opponimus aliam reprobatoris causam, eamq; solam & unicam, INCREDULITATEM videlicet dominatorum. Sicut hoc ipsum ante oculas nobis posuit Apostolus Paulus in exemplo Iudeorum, quos propter solam incredulitatem excisos esse disertè docet Rom. 11. v. 20. Et ipse Deus à se culpam in se blasphemos hostes removet passim. Ez. 18. vers. 23. & cap. 33. vers. 11. Hos. 13. v. 9. 2. Thess. 2. v. 10. 11.
6. De electorum certitudine, de q; numero electorum, & qua alia sunt in hoc Articulo subtiliter magis quam salubriter ab adver- sariis nostri seculi mota, & contra omnem hanc do-ctrinam adducta, pie & modestè in ipsa evulgatione conferemus,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn756815398/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756815398/phys_0028)

DFG

sequentì terminatur: Et est aeternu
luntatis, secundum normam judicij &
punienai hos, quos impoenitentes &
Atq; hoc reprobationis decretum electio
Mare. 16. v. 16. Qui crediderit &
erit: Qui verò non crediderit, conde
hent pīj quod à vocis hujus acerbitate
tremiscant, maximè.

2. Hic ut alibi, toto pectore detestamur & c.
& dictu horrendam reprobationis decr
la ac nuda Dei voluntate, ejusq; absolu
antegrediente, & nullam hominum i
te collocant: eosq; hoc modo non salutem re
tionem creasse, impiè & blasphemè, se
rentur Calviniani.
3. Qui eo ipso dogmate Deum aperiè blasph
Vt enim electi non modo ad salutem:
da medium hoc est veram fidem Chr
aeterno Dei ac immutabili & simpli t
aeternam damnationem sunt destinati;
peccata, ipsis etiam attestantibus Calvi
vertit eos non salutem modo ad damnatio
& peccato ad equatum; sed etiam ad ei
peccatum, esse destinatos. Vt recte
in Ench: cap. 99. Misericordia Deus mag
iniquitate, ut nec liberatus de suis m
inatus nisi de suis meritis conqueratur.
4. Et si absoluta Dei voluntate terminat
quid opus est causis intermediis, ve
Deus indiguit quorundam hominum
stitionem demonstrandam, quam in Ang
monstravit.

the scale towards document

divina vo
erno exitio
recognovit.
christus ipse
uerit salvus
ibil ergo ha
impij, quod

olutum illud
ausam in so
mnes causas
a respicien
ad reproba
ere non ve

i authorem.
consequen
nati; ita si
s quidam ad
verò propter
ion animad
m ultimum
am, qua est
ixisse visus
adurat nulla
ur, nec da

& electio,
Non verò
ad suam ju
sienter de

5. Sed

